



Philos. S. 33.

7
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
EXISTENTIA DEI
EX
AFFECTU PVDORIS DEMONSTRATA
QVAM

SVB PRAESIDIO
VIRI AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE
DOM. IOH. ANDR. MICH. NAGELII
METAPHYSICES ET LL. O. P. P. O.
FACTORIS STUDIORVMQVE SVORVM PROMOTORIS
PLVRIMVM VENERANDI



A. R. S. c1o1o cc xxxii AD DIEM III MARTII
EXAMINI ERVDITORVM SVBIICIT
AUCTOR RESPONDENS

CAROLVS ALEXANDER a GADOMOVO GADOMSKI
NOBILIS POLONVS
VERITATIS CONFESSOR
PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. CVLTOR.

ALTORFII
TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELI.



PROOEMIUM.



Vm de Ipecimine quodam Academico edendo, semel atque iterum cogitassem, incidi in institutiones metaphysicas CL. BAVMEISTERI. Quas postquam diligentius inspexissem, de pudoris affectu sequentia §. 652. se mihi offerebant uerba, uberiore discussione, meditationeque dignissima: „Ceterum „perlubenter fateor, nunquam me affectum „pudoris in homine considerare, quin singularem quandam „DEI contra malum providentiam inde cognoscam. Fac enim „homines carere pudoris affectu. An non ita carebunt freno „quodam, et retinaculo malitiae? An non soluti praecipites- „que ferentur in omnia mala? Hinc Poeta: Hunc periisse scias, „cui pudor periit. Quod quidem tanquam in transcurso, „monitum hic uolo, ut intelligant Lectores, quemadmodum „omnes omnino affectus, ita pudorem quoque non forte ca- „suae, sed aliquo numine diuinoque prorsus consilio in men- „tibus humanis esse altissime impressum. „ Quae uerba, cum non sine quadam animi commotione legissem, digna esse existi- mabam, ut ex professo de iis meditarer, et qualescunque cogitationes meas in medium proferrem. Quod autem ad praesens attinet institutum, primum in genere, deinde in specie, de pudore acturi sumus; ex quo satis firmum de existentia DEI ar-

4

❁ ❁ ❁

gumentum defumi posse putamus. Totam uero disputationem in duas sectiones diuisimus, et in prima quidem etiam alios, u. g. IOH. FRANC. BVDDEVM, et IOH. GEORG. VVALCHIVM, fuimus secuti. In secunda autem, nostras potissimum cogitationes prodidimus. Faxit DEVS, ut omnia in sanctissimi nominis sui gloriam cedant.

SECTIO PRIMA.

§. I.

Quemadmodum gloria consistit in *gaudio ex opinione aliorum, benignoque de nostris benefactis iudicio orto*; ita pudor, qui gloriae opponitur, nihil aliud esse potest, quam *taedium ortum ex sinistro, et malo iudicio aliorum, de nobis et factis nostris.*

Scholion. Aristoteles *rhetor. l. II. cap. aliis VI, aliis XIII*, pudorem paullo aliter definiuit, dum ex uersione AEMILII PORTI dicit: *Sit igitur pudor dolor quidam, et animi perturbatio, quae nascitur, ob mala uel praesentia, uel praeterita, uel futura, quae ad infamiam deducere uidentur.* Haec uero definitio a nostra pudoris notione re ipsa non differt. Taedium enim cum dolore, et dolorem cum taedio arctissime esse copulatum, quis est, qui non intelligit. Fac autem TE aliquid patrasse, quod existimationi tuae labem et maculam affert, num putas, ex eo sinistra hominum de te iudicia non esse proditura. CARTESIUS de *pass. animi art. 205*, pudorem uocat *tristitiam, in amore sui ipsius fundatam, dum nempe nobis imaginamur timibundi opprobrium.* Cum uero tristitia a taedio, et hoc ab illa, seiungi non possit; cum porro imaginatio sinistra hominum de factis nostris iudicia nobis repraesentet; quae repraesentatio, propter amorem sui ipsius, cum non possit esse sine timore; iterum intelligitur, CARTESII mentem a nostra definitione plane non esse alienam. Ceterorum definitiones in praesenti non curamus.

§. II.

Cum autem facta nostra sint uel praesentia, uel praeterita,

ta,



ta, uel futura, (per exper.) facile est intellectu, iudicia quoque hominum de factis nostris esse praeterita, uel praesentia, uel denique futura. (§. I.)

§. III.

Ex quo sponte quasi consequitur hominem non tantum pudere factorum praesentium, sed futurorum quoque, et praeteritorum. Ponas u. g. uiro graui et honesto, ad summam paupertatem redacto, nunc mendicando panem esse quaerendum, num existimas, eum antequam rei periculum faciat, pudore haud suffusum iri? statuas porro uirum, nunc in magno dignitatis fastigio constitutum, in medio aliorum ab aliis propter uitam antea actam mirum in modum exaggerari, num non eum factorum praeteritorum quam maxime pudebit?

§. IV.

Etiam factorum occultorum hominem pudere solet.

Cum enim nos pudeat factorum nostrorum (§. I.) facta autem occulta saepius in lucem protracta fuerint, et adhuc protrahi possint (per exper.) quis iam negare audeat, nos factorum occultorum pudere solere?

Scholion. Fac, hominem sceleratum et homicidam sacris interesse, Praeconem uero uerbi diuini homicidas duriter redarguere, iisque et diuinas et humanas minari denunciareque poenas; nonne eum, nondum licet detecto crimine, quasi attonitum et rubore suffusum obseruabis. Homo enim malitiosus examini subiectus uel ipso pudore se facile prodit. Quod tamen cum grano salis accipi uolo, saepius enim homines innocentes et conscientiae studiosissimos criminis obiecti pudet, e contrario reos et mali auctores, si in iudicium uocentur, audaces deprehendes, et neque uestigium pudoris apud eos obseruabis.

§. V.

Affectus est uehementior uoluntatis commotio, cum extraordinaria sanguinis et fluidi neruei commotione coniuncta.



§. VI.

Quem rei alicuius pudet, non potest non insignem quamdam in uoluntate mutationem sentire, id quod interna experientia quemuis licet inuitum, condocet. Quod uero externa pudoris signa attinet, eum produnt suffusus in facie rubor, auersus corporis status, oculi humum intuentes, et quae plura sunt huius generis. Quae omnia ex experientia optime constant.

§. VII.

Pudor est affectus.

In omni enim affectu adest uehementior uoluntatis et fluidi neruei commotio (§. V.) cum autem haec duo pudori merito competant (§. VI.) oppido patet, pudorem ueri nominis affectum esse.

§. VIII.

Causa proxima omnium affectuum est uiua rei, seu obiecti, repraesentatio, quam nobis tanquam bonam, uel tanquam malam sistimus. Id quod uberius in Psychologia docetur.

§. IX.

Pudor oritur ex repraesentatione rei, quam nobis tanquam malam sistimus. Cum enim omnium affectuum causa proxima sit repraesentatio obiecti (§. VIII.) pudor autem inter affectus merito referatur (§. VII.) apparet ratio, cur pudorem ex repraesentatione rei ingratae oriri dixerimus.

Scholion. Nempe repraesentamus nobis eiusmodi facta, quae famae et existimationi nostrae labem et maculam afferre possunt, uel tantum afferre uidentur. (§. I.)

§. X.

Homines unam eandemque rem diuerso sibi repraesentare solent modo. Haec diuersitas repraesentationum ex triplici potissimum fonte deriuanda uidetur. Nimirum ex experientia constat (1) homines de una eademque re diuersa fouere solere principia, atque adeo pro diuersitate principiorum diuersas de eodem obiecto repraesentationes oriri. Quo posito, facile euenire potest, et quotidie euenit, ut quod imagina-
tio

tio uni tanquam bonam uel tanquam uerum sistit, id alteri malum uel falsum uideatur. (2) Deinde in uulgus notum est, quod quidquid nobis repraesentamus, id nobis repraesentemus aut ope sensuum, aut ope intellectus. Cum uero experientia nos doceat, repraesentationes sensuales esse confusas, quae uero ope intellectus formantur, pro distinctis haberi, iterum ratio perspicitur, cur sensus rem aliquam pro bona haberi possint, quam intellectus malam iudicat, et contra. Ita u. g. si uoluptatem solis sensibus diiudices, eam homini guloso gratam bonamque uideri fateberis, at, ratione in subsidium uocata, multum ueneni eidem inesse deprehendes. Et profecto si primi nostri parentes fructus arboris uetitae non solis ponderassent sensibus, nunquam eosdem ut gratos et suaves sibi repraesentassent. (3) Denique diuersae hominum propensiones diuersas repraesentationes producant. Ita u. g. aliter sibi repraesentat pecuniam homo auarus, aliter uoluptuosus. Otium uni uidetur gratum, quod alter summo studio odit et auersatur.

§. XI.

Pudor potissimum in imaginatione nostra consistit.

Causa enim proxima omnium affectuum consistit in uiua obiecti alicuius repraesentatione, quod nobis uel tanquam bonum, uel tanquam malum quocunque modo imaginamur (§. VIII.) cum autem homines saepius bonum pro malo et malum pro bono sibi imaginentur (§. X.) oppido patet omnes affectus ex imaginatione propullulare. Quoniam uero pudor est affectus (§. VII.) perspicitur ratio, cur potissimum in imaginatione eum collocemus.

§. XII.

Aliquarum rerum hominem pudet, aliarum non item.

Pudor enim oritur ex repraesentatione rei, quam nobis tanquam malam sistimus (§. IX.) cum uero homo aliquas res sibi repraesentet per sensus, aliarum uero ideas intellectu sibi formet (§. X.) fit inde, ut has pro malis famaeque suae inimicis,

cis,



cis, illas uero pro bonis habeat. Quo ipso fit, ut harum eum pudeat illarum non item.

Porro, cum pudor in imaginatione nostra consistat (§ XI) sequitur inde, ut homo, peruerſae corruptaeque imaginationi ſuae nimium indulgens, facile credat, hoc ſamae ſuae maculam afferre, illud autem gloriae ſibi cedere, licet omnia aliter ſe habeant. Quo ipſo fiet, ut harum rerum eum pudeat, illarum non item.

Scholion Ita ſacrorum omnium irriſores, hominesque ſcelesti ne tantillum pudoris prae ſe ferunt ſi ſacra negligant, ſi comotationibus, comellationibus, et Veneri indulgeant, alios dolo circumueniant, crassa rerum omnium ignorantia laborent, falſo iurent; et e contrario pudori ſibi ducunt, ſi quis eos uel meliora doceat, uel preces publice ad DEUM fundere iubeat, uel paupertatem, paruam corporis ſtaturam, uilem parentum conditionem, deformitatem etc. eis obiciat.

§. XIII.

Quarum rerum alios pudet, illas alii nulli ſibi ducunt opprobrio.

Cum enim pudor conſiſtat in imaginatione (§. XI.) ſequitur, ut quod unus putat eſſe bonum, hoc alter, propter diuerſitatem principiorum propenſionumque pro malo habeat et contra (§. X) atque adeo quod hic ſamae ſuae noxium putat, ille honori ſibi ducat. Igitur, quarum rerum alios pudet, illas alii opprobrii loco minime habent.

Vnam eandemque rem hic ſibi repraeſentat ope ſenſuum, adeoque confuſe, ille autem ope intellectus, id eſt diſtincte (§. X.) inde facile accidere poteſt, ut, qui ſolis ſenſibus nititur, malum pro bono, et contra habeat, conſequenter boni eum pudeat, mali uero non item.

Scholion. Ita u. g. hominem uoluptuoſum otii non pudet, at alter illico pudore ſuffundetur, ſi fugam laborum quis ei obiiciat.

§. XIV.



§. XIV.

Pudor mutari potest.

Pudor enim consistit in repraesentatione rei, quam nobis tanquam malam sistimus (§. IX.) hinc fieri potest, ut quod quis antea sibi ope sensuum, id est, confuse, repraesentauit, id nunc ope intellectus distincte sibi sistat, (§. X.) adeoque, quod olim putabat famae et existimationi suae aduersum, nunc bonum credat, nec amplius illius rei eum pudeat. (§. I.) Ex quo conficitur, pudorem mutari posse.

Pudor consistit in imaginatione nostra (§. XI.) cum autem imaginationes erroneae possint degenerare in iudicia recta, et contra (per exper.) iterum inde patet, pudorem mutari posse.

Scholion. Ita u. g. homo adolescens bene educatus Christianisque uirtutibus rite excultus, nihil, quod turpe est, sine pudore loqui, multo minus facere potest. Quam primum uero prauis se addicit consortiis, illico omnem pudorem eum perdidisse obseruabis.

§. XV.

Quo quis maiori gloriae studio ducitur, eo propior est ad pudorem.

Pudor enim est taedium, quod ex eo oritur, quod famam et existimationem nostram laedit (§. I.) ex quo satis apparet asserti nostri ueritas.

Scholion. Ex definitione pudoris, supra (§. I.) adducta, sequentes quoque propositiones demonstrari possunt. 1) Nullius rei nos pudet, nisi eius, quae famam nostram discrimini exponit. 2) Vbi nullum gloriae studium, ibi nullus pudor. Hinc apud homines summe corruptos uix uestigium pudoris obseruabis. 3) Qui omnes actiones suas ita instituit, ut non nisi gloriam inde consequatur, eum etiam minimarum rerum pudere solet. Sane fideles, quorum gloria unice DEUS est, etiam de minimo peccato, quod uel inuiti, uel inscii commiserunt, dolent, eiusque ueniam a DEO sollicitate impetrant.

B

§. XV.



§. XVI.

Ex quo plurimum gloriae in nos redundat, illius maxime nos pudere solet.

Verum enim uero illarum rerum nos pudere solet, quae famam existimationemque nostram laedunt (§. I.) ex quo conclusimus, eum, qui maiori gloriae studio ducitur, proniorem esse ad pudorem, quam alios. (§. XV.) Ex quibus ultimo hanc positionem deduximus, ex quo plurimum gloriae in nos redundat, illius maxime nos pudere solet.

Scholion. Virgines mulieresque illae, quibus castitate nihil est carius, quae merito maxima earum est gloria, sermones impuros neque audire sine rubore possunt. Miles strenuus uel maxime pudore suffundetur, si ei timiditatem obiicias. Peritus politicus, si prudentiae suae naufragium imminere uideat. Eruditus, si gloriae, quam sibi uariis scientiis peperit, periculum instet.

§. XVII.

Falsa igitur est non nullorum regula: *Quarumcumque rerum nos pudet, illas minus rectas; quarumcumque autem nos minime pudet, illas bonas legique conuenientes esse oportet.*

Supra enim iam ostendimus (§. XI.) pudorem in imaginatione nostra consistere, cum uero iudicia nostra peruersa saepius corruptaque deprehendantur (per exper.) fit inde, ut homines haud raro bonum pro malo, malum autem pro bono amplectantur, (§. X. scholion) ex quo sponte quasi fluit, quod boni saepius eos pudeat, mali uero non item (§. XII. Schol.). Satis igitur regulae falsitas inde apparet.

Quo quis maiori gloriae studio ducitur, eo pronior est ad pudorem (§. XV) igitur, ex quo plurimum gloriae in nos redundat, illius maxime nos pudere solet (§. XVI.). Cum autem pudor consistat in imaginatione nostra (§. XI.) facile fieri potest ut homo bonum, minus sibi gloriae conciliaturum esse putet, quam malum. Vnde iterum regulae falsitas elucescit.

§. XVIII.



§. XVIII.

Pudorem, qui oritur ex dictis, et factis cum regulis iustitiae, prudentiae et decori pugnantis, famamque nostram reverentia laedentibus, appellamus rationalem; quid sit irrationalis, ex opposito intelligitur.

§. XIX.

Dari homines, quos maxime illarum rerum pudet, quae cum legibus diuinis humanisque pugnant, quotidiana experientia loquitur.

§. XX.

Pudor, uel est rationalis, uel est irrationalis.

Quia dantur homines, quos earum rerum pudet, quae famae et existimationi eorum nullam labem, nullamque afferunt maculam (§. XII. Schol.) sed neque ii desunt, quos propter facta cum regulis iustitiae et legibus pugnantia uel maxime pudet (§. XIX.) cum uero illud irrationalem, hoc autem rationalem pudorem dicamus (§. XVIII) apparet asserti nostri ueritas.

§. XXI.

Et haec sunt, quae de pudore in genere dicenda erant, nunc ea breuiter percensebimus, quae scopo nostro proxime inseruiunt.

SECTIO SECVNDA.

§. I.

Dari homines, qui nullo gloriae studio ducuntur, dari item eos, qui, uulgi opinionem prorsus contemnentes, soli uirtuti student, atque suas actiones ad legem componunt, nemo est, qui in dubium uocare audeat. Hi, dictorum factorumque suorum sibi bene conscii, neque uanam gloriam, neque quod mundum sapit, curant; bonam, rectam et intemeratam conscientiam summi boni summaeque gloriae loco habentes.

§. II.

Hoc, de quo iam loquimur, hominum genus neque paupertatis, neque pusillae staturae, neque membrorum mutilorum, et quae sunt plura huius generis supra iam (§. XII. Schol.) enumerata, pudet, pudet autem maxime, si quid contra legem se uel uerbis, uel factis uel cogitationibus commisisse intelligat.



§. III.

Horum proinde pudor non ita in imaginatione consistit, (§. XI.) sed rectam illam conscientiam pro fundamento habet (§. I.) uerbo; pudet eos uiolatae legis, neglectarumque uirtutum (§. II.).

§. IIII.

Si quis cogitando peccat, eius famae et existimationi coram hominibus nihil quidquam decedit.

Homines enim interiora cordis scrutari nequeunt (per exper.) et per consequens, de prauis hominum cogitationibus sinistra iudicia ferre non possunt. Vnde satis intelligitur, hominum cogitationes famae et existimationi nullam maculam afferre solere.

§. V.

Magistratus ciuilibus prauas hominum cogitationes plectere nequit.

Interiora enim cordis, et occultos abditosque mentis actus pernoscere non potest (§. IV.) ad poenam uero infligendam requiritur notitia delicti (per exper.) unde satis apparet positionis nostrae ueritas.

§. VI.

Apud homines, qui mundum prorsus contemnunt, famam, existimationem et gloriam uanam nihil curantes (§. I.) reuera deprehenditur pudor (§. II et III.) id quod sequens etiam exemplum confirmat. Fac, eiusmodi hominem audire Praeconem oraculorum diuinorum, uitia magno animo redarguentem, illico apud eum uel ruborem faciei, uel oculos humum intuentes obseruabis. Cum uero haec sint signa pudoris externa (§. VI.) quis amplius eis pudorem denegare audebit (§. II.)

Scholion. Constat porro hos homines in cubiculis suis ad genua prouolutos saepius lacrymari, cum uero a pudore nunquam possit seiungi dolor et tristitia (§. I.) lacrymas uero etiam dolor excitet (per exper.) iterum patet, pudorem iure meritoque ipsis esse tribuendum.

§. VII.

Homines quos supra descripsimus, (§. I.) cogitationum atque adeo internorum mentis actuum pudet. Nam



Nam cum pravae corruptaeque hominis cogitationes nihil famae existimationique eius noceant (§. IV.) sequitur inde, ut sola dicta factaque honori nostro labem afferre possint. Cum autem eiusmodi homines honorem uanamque mundi gloriam prorsus contemnant (§. I.) dictorum item et factorum suorum sibi optime sint conscii (§. eod.) pudor uero nihilominus apud eos locum habeat (§. VI.) sponte inde consequitur, eos non nisi prauarum inordinatarumque cogitationum pudere solere.

§. VIII.

Cum nihil sit sine ratione sufficienti (per princ. Ontol.) ratio quoque adesse debet, cur internorum mentis atque uoluntatis actuum eos pudeat? (§. VII.) Hanc igitur iam inuestigabimus.

§. IX.

Quoniam pudor oritur ex sinistro aliorum de nobis et factis nostris iudicio, (§. I.) sequitur, nullius rei nos pudere solere, nisi eius quam famae et existimationi nostrae officere opinamur (§. XIII. Schol.) illius proinde pudoris, qui in imaginatione consistit (§. X.) ratio sufficiens in eo quaerenda est, si putemus, nos famam et existimationem nostram dictis factisue uel laesisse uel laesuros esse.

§. X

Cum uero homines uirtutis studiosi (§. I.) neque sinistra hominum iudicia extimescant (§. eod.) neque famam honoresque aucupentur (§. eod.) sole meridiano clarius euadit, rationem, cur cogitationum, prauorumque uoluntatis actuum eos pudeat, (§. VII) in iactura famae gloriaeque non esse quaerendam. Accedit et illud, quod corruptae cogitationes nihil labis coram hominibus famae nostrae concilient. (§. IV.)

§. XI.

Homo sceleratus; si coram Magistratu examen rigidius ipsi subeundum uenit, uel ipso pudore factum turpe nonnunquam prodit (§. IV. Schol.) cum autem homines boni actiones suas legi conuenienter instituunt, (§. I.) et non factorum sed prauarum cogitationum eos pudeat (§. VII.) Magistratus uero ciuili per-



uersos, abditosque mentis uoluntatisque actus plectere nequeat (§ V) sequitur, rationem sufficientem huius pudoris neque apud Magistratum esse quaerendam.

§. XII.

Ens finitum hominum cogitationes abditosque et occultos mentis actus perscrutari et pernoscere nequit; per exper.

§. XIII.

Quoniam homines uirtuti deditos prauarum cum mentis, tum uoluntatis actionum maxime pudet (§. VII.) peruersae autem cogitationes neque existimationi nostrae ullam labem ullamque maculam afferant (§ IV.) neque a Magistratu plecti possint (§. V.) sequitur, rationem sufficientem, cur bonos malarum cogitationum pudeat, in eiusmodi ente esse quaerendam, quod abditos etiam mentis recessus, arcanosque uoluntatis motus scrutari, pernoscere, prohibere et plectere potest.

§. XIV.

Cum porro ens finitum abditos hominum cogitationes perscrutari nequeat (§. XII.) sponte inde consequitur, ens illud, quod occultos mentis uoluntatisque actus pernoscit, infinitum esse debere. (Vi oppos.)

§. XV.

Quoniam uero ratio sufficiens cur homines bonos et rectae intemerataeque conscientiae studiosos prauarum cogitationum pudeat (§. VII.) cur item earum causa doleant et lacrymas profundant (§. VI. schol.) quaeri debet in ente tali, quod abditos etiam mentis humanae recessus, et malos uoluntatis motus scrutari, uetare et punire potest (§. XIII.) apparet ratio, cur hoc ipsum ens debeat esse infinitum.

§. XVI.

Datur ergo ens infinitum.

Existit enim eiusmodi ens quod corruptas prauasque humanae mentis cogitationes apprime cognoscit, prohibet, auersatur et odit (§. XIII.) cum autem id ipsum ens non finitum (§. XII) sed infinitum esse debeat (§. XIV. et XV.) ad oculum patet, ens infinitum dari.

§. XVII.



§. XVII.

Hoc ipsum ens non modo infinitum (§. XIV.) sed etiam omniscium, summa sanctitate praeditum, et denique omnipotens esse oportet. Enim uero abditas mentis cogitationes, et arcanos uoluntatis motus scrutari, Omniscientiae, eosdem prohibere, summae sanctitatis, et plectere posse, omnipotentiae certissimum est indicium. Cum uero illud ipsum ens, de quo loquimur haec omnia possit (§. XIII. et XV.) satis, opinor, intelligitur, idem debere esse non modo infinitum, sed etiam omniscium, summa sanctitate praeditum, et omnipotens.

§. XVIII.

DEUS est ens infinitum, Omniscium, summa sanctitate praeditum, et Omnipotens.

Scholion. In hac definitione DEI nominali solam infinitatem adducere potuissemus, quippe ex qua reliqua attributa diuina commodissime deduci possunt, id quod iam ab aliis est praestitum. Quoniam tamen reliqua iam ex superioribus sponte fluunt, ea omittere nolimus.

§. XIX.

Datur ergo DEUS.

Quoniam ratio sufficiens, cur homines uirtutis studiosos cogitationum prauarum pudeat (§. VII.) quaerenda est in ente tali, quod occultas mentis uoluntatisque actiones scrutatur, prohibet et punit (§. XIII). Cum autem ens finitum id ipsum praestare non possit (§. XII), conclusimus inde eiusmodi ens infinitum esse debere (§. XIV. et XV.) Vnde tandem inferebamus, ens infinitum dari (XVI.) idemque, praeter infinitatem, etiam omniscientia, summa sanctitate et Omnipotentia ornatum esse debere (§. XVII). Cum uero DEUS sit ens infinitum, omniscium sanctitate praeditum, et Omnipotens (§. XVIII.) igitur datur DEUS.

Q. E. D.



PRAE-



PRAESES

GENERE NOBILI ET DOCTRINA EXIMIO
DOM. RESPONDENTI
S. P. D.

Facere non possum, Doctissime Dom. Respondens, quin TE alloquar, et publice edicam, atque fatear, mihi plane nihil de tota hac disputatione esse tribuendum. Ipse enim nosti, me TIBI hoc specimen Academicum reddidisse, uti id mihi exhibueras. Id quod cum ex aliis causis celare haud nolo, tum in primis, ne mihi ab aliis adscribatur, quod omnino meum non est. Quemadmodum igitur mihi nemo ex hac dissertatione aliquid recte adiudicabit: ita diligentiam et studium TVVM TIBI gratulor, atque a DEO ALTISSIMO ex animo precor, ut is, pro ingenti sua bonitate, TE quotidie magis ac magis veritatis collustret luce, atque ab omni, et corporis, et animi, iactura, clementer defendat, ac TIBI in tenuitate hac, qua in praesenti uteris, MVNIFICOS et LIBERALES MAECENATES excitet ac PATRONOS, ut TE illorum ope iis possis instruere scientiae aut artis praesidiis, quibus postea et TIBI et aliis prodesse queas. Vale.

Qui fuit, est et erit, coeli terraeque Monarcha.
Ter sanctum numen, quod fuit, est et erit:
Hoc affectu in praesens demonstrare pudoris
Fert animus: quippe expertus eo eximia.
Perge ita nec coeptis deerit successus; et ipse
Praemia concedet digna labore DEVS.

Haec NOBILISSIMO nec non Doctissimo
Domino a Gadomouo Gadomski amico
et commensali suo suauissimo, cum uoto
omnigenae felicitatis apponere uoluit
SEBASTIANVS GOTTOFREDVS CASPARVS
MITTMEYER, von Blagotitz,
S. S. Theol. Cultor. Opponens.

Du siegst, Gelehrter Freund, durch Witz und gutes Wissen,
Bey Babels Finsternuß, und bey der Spötterey.
Wer sollte nicht mit mir mit reinen Wünschen schliessen,
Daß Dein nie müder Fleiß von Gott geseegnet sey.
Seine Ergabenheit und aufrichtige Freundschaft zu besorgen, setzte dieses
Georg Andreas Ziegler,
der Weltweisheit und Gottes-Gelahrtheit Beflissener.

Gratulor ex animo uero certamina docta
Quae misces, scandens cathedram, mi suavis amice,
Det DEVS omnipotens felicia tempora carpas,
Dona Tui ingenii rursus quo grandia monstres.
Nobilissimo Dom. Respondenti, suo amico
coniunctissimo, ad significandum suum amo-
rem adiicere haec uoluit et debuit
NICOLAUS MAVRITIVS KLEEMANN,
Philosoph, et Theolog. Studios. Opponens.

